

vel aliud qvicqvam rerum naturalium, utpote Animam seu Spiritum mundi, qvem $\lambda\delta\gamma\sigma\nu$ alias indigitasse Plato legitur, animo intendisse, vel sublimius dogma de SS. Trinitate à veris fortè veri DEI cultoribus auditum, minùs rectè percepisse, adeòqve seipso, qvid sibi velint, non intellexisse credas. Deastrum Chinensium qvod concernit; neq; hoc è solâ naturalis luminis benignitate hauserunt, verùm rudera potiùs esse existimes prædicati aliquando istis etiam in oris Evangelii, siqvidem alia insuper hujusmodi $\tau\kappa\mu\eta\epsilon\alpha$ apparent in ipsorum fanis, utpote simulachra duodecim Apostolorum, de qvibus memorant, fuisse viros doctrinâ & virtutibus insignes, tandemq; vitâ transactâ in Angelos mutatos: effigiem item mulieris cernere licet, puerum brachiis gestantem, qvam virginem peperisse, Regisq; magni filiam fuisse, contendunt. Qvicqid igitur in medium hîc proferatur, exterius à rebus decerpitæ & accommodatæ sunt similitudines, undiqvaq; claudicantes, non intùs nata principia.

§. 5.

Esse DEUM naturaliter cognoscit Ratio, & impossibile est, dari hominem per totum vitæ spatiū speculativè atheum; eaq; ipsa quantulacunq; notitia instar fomitis est, qvo plenior lux perfundando ac inqvirendo accendi facile posset, qvod si negligitur, hominem tamen reddit $\alpha\omega\pi\alpha\lambda\delta\gamma\eta\tau\nu$; altius verò ascendere non valet, nec definire qvis sit, hîc jubet qviescere Plato, omnisq; obmutescit Philosophia, & sanè ex Hilarii sententia, *non cā naturā est, ut se in cœlestem cognitionem suis viribus efferat, sed à DEO solo discendum est, quid de DEO intelligendum sit.*

CAPUT III.

Sistens Revelationem ter Maximi.

Σύνοψις.

1. *Manifestatio DEI realis per visiones & voces premititur.* (2.) *Manifestatio verbalis è Scripturis in genere eruitur.* (3.) *Essentiæ unitas & Personarum Trinitas distinctius adstruitur.* (4.) *Notæ Personarum characteristicae & propria cuiusq; hypostasis probantur.* (5.) *Essentialia Idiomata immanentia explicantur.* (6.) *Transuentia ad creaturas subnecluntur.*

§. I.